Zu der

am 11. und 12. September

zu veranstaltenden

öffentlichen Prüfung

der Schüler

des

hiesigen Königlichen Gymnasiums, der Real-Schule und der Gymnasial-Vorbereitungsklasse,

so wie

zu dem darauf folgenden

Redeactus

ladet

alle Freunde des Schulwesens

ergebenst

ein

der Director

Ottemann.

Inhalt.

1) Ein Beitrag zur Kritik des Tacitus, von dem Gymnasial-Lehrer Schraut.

2) Schulnachrichten, vom Director.

Saarbrücken, gedruckt bei Anton Hofer. 1840.


J. T. Voemel,
Rect. & Prof.
Frankfurt.

Fit saepenumero, ut quae in pectus animumque demissa vigeant, neque ulla unquam oblivione videantur posse deleri, eorum memoria obruta rerum novarum ac discrepantium turba, quasi nube quadam caliginosa, tegatur aliquamdiu atque obumbretur; tum levi pulsa momento, ut discussis sol tenebris, eluceat. Ita cum forte perlustrarem his diebus nova quaedam a bibliopola, sicut fieri solet, missa, incidi in Taciti Historias a Theoph. Kiesslingio nuper editas; quem librum dum pervolvo, ac passim inspicio, et quaero, quid singulis locis, quos controversos et dissensionis plenos esse meminissem, Vir Illustrissimus attulerit auxilii lucisque, rediit in memoriam tempus illud, quo, si litteras et studiorum fructus spectes, neque iucundius mihi potuit neque utilius obtingere. Qui enim vir puerum ad veterum scriptorum lectionem me instituerat, mox adolescentem adiuverat consilio, adhortatione incitaverat, idem iuvenem reversum in patriam ex longinqua peregrinatione ad studiorum societatem adhibuit. Impenderat ille aliquot annis magnam otii partem in Taciti scriptis accuratius tractandis; subsidia haud despicienda comparaverat; annotaverat multa. Illo ipso, de quo dicebam, tempore inveni eum excutientem editionem scriptoris sui a Bachio paulo ante curatam. Quid multa? Statim animadvertit ille, tribus annis, quos procul a patria egissem, non modo me alienum non esse factum studiorum, quorum principia ipse mihi tradidisset; sed illi scriptori, quo pluris ipse aestimabat nullum alium, quantum quidem mihi liceret, vacasse. Itaque iuncta consuetudine, communicabat mecum, ut et hominis ferebat liberalitas non invidentis fructus studiorum multo saepe labore conquisitos, et amor singularis, quem erga me habebat, quae aliis viris doctis melius perspexisse sibi videretur; de aliis meam poscebat sententiam; denique nullum intra quatuor menses, quos Crucenaci remanere mihi licuit, praetermittebat diem, quin mecum aliquid legeret, inquireret, disputaret. Remansit eadem illa studiorum consuetudo, etiam quum procul ab amico carissimo munus publicum suscepissem; neque unquam re-

vertebar Crucenacum, quin plures quotidie horae Tacito seponerentur. Iamque tempus videbatur esse ea, quae longo studiorum cursu vir doctissimus elaboravisset, in publicum emittere, quum immatura mors in ipso aetatis flore eum praeripuit. Duo extant eius libelli, uterque inscriptus *Annotationum in Cornelium Tacitum Specimen*, *ed*. P. Petersen, *Phil. Doctor et Gymnasii Crucenacensis Professor*, editi ad indicenda examina publica scholae illius, alter anno MDCCCXXXV, alter quinque annis ante; cetera, quae summa cum diligentia contulerat, eruerat miro ingenii acumine vir in indagando acrior quam promptior ad edendum, latent adhuc in adversariis. Quae qui protrahat in lucem, numquid allaturus sit utilitatis Tacito, iudicent qui specimina illa cognoverunt; mihi saltem ne post novissimam quidem Kiesslingii editionem operam perditurus esse videtur. Habeo equidem enotatum locorum difficilium numerum, in quibus vel scribendis vel explicandis hunc virum doctum a vero aberrare censeam. E quibus satis mihi erit in praesens tempus unum protulisse, praesertim quum intra fines continear certos spatii et chartae, quos si excesserim, de meo sumptus mihi sint suppeditandi.

Locus is est Histor. II. cap. 63.: *Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum Triaria, L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit e periculo principis famam clementiae adfectare.* Sic scriptum invenio apud Kiesslingium, qui, *Hanc*, inquit, *cod. Florent. scripturam cum Pichena, Iac. Gronovio et Walthero retinui.* At enim unde nosti tu, quam scripturam codex Florent. exhibeat? Waltherus quidem, *Sic*, inquit, *MSS. Flor.* (*test. Vict.*) Testi plane ita ac diserte loquenti quis audeat obloqui, praesertim quum paulo post idem addat: *Falsus igitur videtur esse Ryckius, qui prodidit in MS. Flor. esse affecturet*? Sed Waltherus, interrogatis dumtaxat testibus, iudicem se ipse constituens, Ryckio fidem se habere negat, credit Victorio. „Victorius (Waltheri ipsius haec verba sunt, praef. Tom. I. p. XXXVII.) scripturam Florentinam ab editione Beroaldi diversam apposuit plerumque in margine.“ At in Beroald. *adfectare* extat, ut ipse fatetur Walther. in adnot. ad locum nostrum. Silere igitur testem illum unice nimirum fide dignum, credemus; nisi forte, contra atque consuevit, se vidisse in codice id ipsum, quod exemplum Beroald. exhibebat, disertis verbis affirmat. Silent etiam Pichena et Iac. Gronovius; qui quum hoc loco *adfectare* tacite ediderint, Waltherus eos non iam testes existere, sed advocatos saltem causae suae adesse existimat. Sed variam lectionem cod. Florent. neutrum prodidisse, nisi in verbis vulgatis offenderentur, ne Waltherus quidem negaverit, quippe qui multis locis Victorium suum glorietur loqui, ubi illi sileant. Ergo placuisse iis hoc loco

adfectare, facile concesserim; de codice Florent. per eos quidem constare quidquam, nego. Attamen Waltherus quod fecit, ut Victorium, quamvis sileret, disertis Ryckii verbis anteponeret, quodam suo iure fecisse poterat videri; ubicunque enim nihil annotavisset auctor suus, codicem Florent. cum Beroald. concinere sibi persuaserat. Bekkerus, qui scripturam libri illius praestantissimi a Franc. Furia denuo excussi edidit, hoc loco silet; sed recepit ille *adfectaret*, nulla lectionis varietate adiecta; coniici igitur licet, Bekkerum dedisse, quod Furia viderit. Habes duntaxat Furiam silentem, quem Victorio Waltheri, et ipsi silenti, opponas. Iam utriusque comparata ac pensata diligenter opera, inspectisque locis haud sane paucis, ubi alter Beroaldinum suum exemplum intactum reliquit, alter codicem manu scriptum diversam ab illo scripturam exhibere affirmat, si illum hoc quoque loco digniorem fide censuerim, non facile quisquam temeritatis me accusaverit. Sed nolo cupidius instare; fac Furiam non tanti aestimandum esse, ut eius silentio fretus statuere velis, in codice Florent. *adfectaret* inveniri; valebit tamen ad evertendam quam ex Victorii silentio Waltherus conclusit rationem; ita ut iam nihil causae restet, cur Ryckii sive diligentia, sive veritas impugnanda esse videatur.

Iam operae pretium me fecisse putabo, si vera lectio quae sit hoc uno loco, demonstrasse mihi contigerit; sed est, ni spes valde me fallit, alia disputationis meae utilitas. Waltherum, non solum hic, sed ubicunque taceret Victorius, codicem Florentinum idem exhibere, quod haberet Beroaldina, arbitratum, vidimus huius potissimum libri vestigiis ingredi. In quo si a vero aberravit, inscius fecit, ut qui Bekkero prior Tacitum ediderit. Sed de Nic. Bachio quid iudicabimus, qui quum apud Bekkerum libri Florent. scripturam a Franc. Furia disertis verbis enotatam inveniret, silentem passim alterum alteri plane loquenti praeponere malebat? Certe, Walthero ipsi, credo, accidit praeter spem, ut sive sua sive Victorii sui auctoritas tanti fieret.

Sed iam ad codicem Florent., ut ad fontem, retulisse scripturam qualemcunque, parum est; caveamus oportet, ne iustam libri praestantissimi laudem imminuisse potius videamur, si ex eo profectam esse scripturam demonstraverimus, quae non modo altera illa non sit praestantior, sed fortasse prorsus reiicienda. Spero equidem atque confido, fore, ut restituta, quam ego volo, lectione de codicis illius fama nihil detrahatur. Quid enim, quod illud *adfectare* retineri nullo modo potest? Waltherus, *Structura,* inquit, *verborum: terruit .... adfectare aeque proba est atque illud inlectus ... ducere Ann. II. 37.* Nempe ad Graecorum morem aetatis, quam dicunt, argenteae scriptores infinitivo utuntur, cum sermonis proprie Latini

natura coniunctivum poscat et *ut* vel *ne* coniunctiones, antecedente *rogandi* vel *persuadendi* vel etiam *deterrendi* verbo. Nolo iam postulare, ut probet Vir doctissimus, *terrere* non absolute, ut solet, hic positum esse, sed notare *deterrere*; neque uti alia praeter ea, quae attulit, exempla huius ipsius vocis usum demonstrantia promat, si possit; nam, ut constet cum Latini sermonis praeceptis et indole, alienissimus est a loco nostro sensus, quem ille in verbis inesse putat. Crimina Dolabellae obiecta praesente Flavio Sabino neque probari poterant, et accusator falso eum insimulatum esse confessus erat. Sabinus igitur ad Vitellium referre, quae dicta essent, dubitabat, non quo clementiae famam ipse appeteret, sed quia nullum principi a Dolabella imminere periculum existimabat, et ultro supplicio afficere humanitas vetabat. Cunctanti et inclinatiori ad lenitatem Triaria metum incussit, quippe quae sibi diceret eum videri famam clementiae affectare. Hoc, si quid video, Tacitus voluit dicere, utut verbis expressum fuisse putas; quod ut ex Waltheri sive scribendi ratione sive interpretandi elicere possis, valde timeo. Nihil contra facilius est, quam, sublato levi librarii mendo, cum ed. Spir. et Ernestio rescribere *terruit: ne peric.*, eo ipso sensu, quem locum totum et sententiarum cursum poscere diximus: Während er noch zauderte, jagte ihm Triaria Schrecken ein: *er solle es sich ja nicht einfallen lassen, auf die Gefahr des Fürsten hin nach dem Rufe der Milde zu streben.* Kiesslingium, quum verba *e periculo - - adfectare* ea litterarum forma imprimenda curavisset, qua oratio, quam dicunt, obliqua distingui solet, melius Walthero et Bachio hac in re vidisse suspicabar, nisi omnia turbaret addita adnotatione ab illorum errore parum discrepante.